

DISSERTATIO THEOLOGICA
^{DE}
Adoptione Fidelium &
Libertate Christiana,

Quam
Auspiciis Numinis Divini,
In Universitate Francofurtana,
PRÆSIDE

DN. BARTHOLO
HOLTZFUS, D.

Prof. Theol. & Ecclesiastice Ord.

Fautore & Præceptore Suo

ætatem Colendo,

ad d. XXIX. Jun. A. O. R. MDCCXIV.

Loco Horisque Consuetis

Publice ventilandam proponit

SAMUEL FRIDERICUS
LANGERFELD,

Cotbus. Lufatus.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.

≠

8

~~XXX~~ 37

03 Coll. diss. A
81 181, 14

571. A. 181 (14)

Sächs.
Landes-
Bibl.

2



CAPUT I.

De Adoptione Fidelium.

I.
Adoptio græce dicitur *υιοθεσια*: Quæ vox composita est ex *υιός* filius & *τιθημι* pono.

II.

Accipitur vel (1.) pro vocatione & assumptione in *Fœdus*, i. fœderatione, qua Deus populo vocato s. fœderato fœderis beneficia conferre paratus est, quo sensu Judæorum dicitur fuisse Adoptio, Rom. 9, 4. (2) pro *Adoptionis sensu & usu*, facto per emancipationem, quæ fidelibus Novi Testamenti competit, qui non amplius minores, nec servi, nec servorum instar habiti, sed adulti, ut filii & heredes Jure Adoptionis gaudent ac Spiritum Adoptionis accepisse dicuntur Gal. 4, 5. (3) Pro *plena manifestatione Adoptionis*, quæ in Resurrectione futura est; Rom. 8, 28. ubi fideles Adoptionem i. e. Corporis sui Redemptionem expectare leguntur. Hoc loco accipitur pro actione Dei, qua Credentes in Christum, gratiose in Familiam suam recipit, & nomen ac Jus filiorum iis largitur.

III.

Est ergo Adoptio actio Dei, qua homines voca-

tos ex gratuita sua misericordia, per fidem in Christum, in familiam suam recipit, iisque nomen ac Jus filiorum Dei confert, & cœlestem hereditatem & Regnum addicit, in laudem bonitatis suæ.

IV.

Causa Efficiens est Deus, Eph. 1., 5. Gal. 4, 4. 5. I Joh. 3. 1. Filius, Joh. 1. 12. Quotquot receperunt Eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Spiritus Sanctus, qui ut signaculum & Arrhabe beneficii hujus, Spiritus Adoptionis vocatur, Rom. 8, 15. 16. Gal. 4, 6. Eph. 1, 14.

V.

Causa προνομιᾶν est gratuita Dei Misericordia, Joh. 3, 16. I Joh. 3, 1. προκαταρκτικῆ est Filii unigeniti obedientia & Sacrificium, Joh. 1, 12. Quotquot receperunt eum &c. Eph. 1, 5. Prædestinavit nos in Adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum v. 6. In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.

VI.

Subiectum hic non sunt Angeli, licet & illi propter Creationem Filii Dei sint & dicantur Job. 38, 7. Et quia imaginem ac similitudinem sanctitatis suæ illis impres- sit, Job. 4, 18 nec soli Magistratus, qui propter auctoritatem ac dignitatem illis à Deo concessam, Filii Altissimi, vocantur, Psalmo 82, 6. Sed homines, non integri, tametsi & Adam, propter Creationem & dotes à Deo acceptas Filius Dei dictus est, Luc. 3, 38. Sed lapsi, verum per Fidem & Resipiscentiam restaurati.

VII.

Medium, cujus interventu homines in filios Dei adoptantur, est Fides, Joh. 1, 12. Quotquot receperunt Eum dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus

ejus

ejus, Gal. 3, 26. Omnes filii Dei estis, per fidem, quæ est in Christo Jesu.

IX.

Bonum Testamenti hujus fœderalis credentibus promissum atque addictum primarium est (1) Ipse Deus ut Pater in omnibus Perfectionibus s. Attributis suis. Rom. 8, 17. heredes Dei. Gen. 15, 1. Ego, protector tuus sum & merces tua magna nimis. Deut. 30, 20. Deus est vita tua & longitudo dierum tuorum. Ezech. 37, 27. Erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus & ipsi erunt mihi populus. quod confirmatur 2 Cor. 6, 16. Item Ezech. 11, 20. Cap. 14 11. Cap. 37, 23. Jer. 10, 16. Cap. 31, 33. Coll. cum Heb. 8, 10. Ps. 73, 25. Joh. 20, 27. Conf. Gen. 17, 1. 7. 8. Quo freti Dei filii Deo ceu assignata sibi portione hereditaria ita lætantur: Ps. 15, 5. 6. Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei: Tu es qui sustentas hereditatem meam mihi: funes ceciderunt mihi in præclaris (amænis) & Thren. 3, 24. Pars mea Dominus propterea expectabo eum. & Ps. 73, 25. 26. (2) Regnum Cœlorum, ut hereditas cœlestis, Luc. 22, 29. Dispono vobis regnum sicut disposuit mihi pater meus. It. Luc. 12, 32. in cujus possessionem ex Regno gratiæ in extremo judicio introducentur, teste Christo, Matt. 25, 34. Venite Benedicti patris mei: possidete paratum vobis Regnum à Constitutione mundi. 1 Joh. 3, 2. et Paulus 2 Tim. 4, 8. Coronam Justitiæ sibi repositam à Domino expectat. Unde & fideles, 1 Pet. 2, 9. Regalis Sacerdotii titulo honorantur; Et Apoc. 1, 6. Christus nos Reges & Sacerdotes fecisse dicitur Deo & Patri suo. It. Apoc. 5, 10. quo ipso hereditas fidelium Novi Testamenti distinguitur ab hereditate Fidelium V. T. quibus terra Canaan, ut pignus sub obscurum Regni Cœlestis promittebatur. Secundarium, Totus Mundus, 1 Cor. 3, 21-22.

* (6) *

Omnia vestra sunt sive-Mundus - sive presentia sive futura,
Rom. 4, 13.

IX.

Forma Adoptionis ex usitatis apud Juris Consultos Actibus Adoptantis & Adoptandi intelligi potest. Scilicet, apud Romanos, Is qui adoptabat, coram Præ-tore eum quem adoptabat, tenens, Ita dicebat: Hunc hominem filium meum esse volo; Consen-tiente adoptando, Prætor hunc illi addicebat. Qui-bus convenienter, Forma Adoptionis est hominis in Christum credentis & resipiscentis in familiam divi-nam propter filium unigenitum, à Deo facta receptio, & Regni cœlestis ceu hereditatis addictio.

X.

Finis, respectu Dei, est declaratio Amoris ac Bonitatis divinæ, 1 Joh. 3, 1. 2. respectu hominum, æterna salus seu Regnum cœleste, Luc. 12, 32. C. 22, 29. Joh. 3, 16.

XI.

Effectus præcipuus est (1) Spiritus Adoptionis, Gal. 4. 6. Rom. 8, 15. 16. (2) Persvasio de summa Charitate adop-tantis 1 Joh. 3, 1. 2. Joh. 3, 16. Rom. 5. 8. 9. C. 8. 31. 33. 35. (3) Obedientia Amoris erga Deum, qua Adoptivi se ad leges familiæ, in quam asciti sunt, promte componunt Ps. 110, 3. Rom. 8, 14. Gal. 5, 22, 25. (4) Contemptus mundi ac rerum & dignitatum mundanarum, exemplo Mosis Hebr. II, 24. 25. 26, 1 Joh. 2, 15. 16. (5) Neglectus familiæ, prioris Carnalis, Luc. 14, 26. Matt. 12, 48. (6) Expectatio hereditatis cœlestis, 2 Tim. 1, 12. c. 4. 8. Rom. 5, 2. Phil. 1, 21. 23. C. 3. 20. 21. Luc. 2. 29. Gen. 19, 18.

XII.

Officia Adoptivorum sunt (1) Amare Patrem cœ-lestem

lestem adoptantem, Mal. 1, 6. Matth. 22, 37. (2) *Amare tabulas Testamentarias*, i. e. Scripturam Sacram Joh. 5. 39. Col. 3, 16. (3) *æstimatio hereditatis cœlestis*, Luc. 10, 20. Matth. 5, 6. c. 23, 46. c. 16. Phil. 3, 8. (4) *Ambulare dignè statu illo filiorum & Evangelio*, Eph. 4, 1. 2. Col. 1, 01. c. 2, 6. 1 Theff. 2, 12. 1 Joh. 3, 3. (5) *Facilitas ad ignoscendum fratribus & impertiendum fratribus egenis* 1, Joh. 3, 17. (6) *singulare studium se conformandi imagini primogeniti filii Dei*, Rom. 8, 28,

XIII.

Præstantia s. dignitas, vel privilegia filiorum Dei in eo consistunt (1) Quod ad novam generationem admittantur, quæ illis obtingit non ex voluntate viri sed per generationem ex Deo, Joh. 2, 12. *naturæ divinæ particeps* fiant, 2 Pet. 1, 4. indeque Deum ut patrem compellere queant, Rom. 8, 15. Gal. 4, 6. (2) Quod sint fratres Christi, Hebr. 2, 11. 12. (3) Quod sint heredes Dei & coheredes Christi, Rom. 8, 16. 17. Accommodari huc potest, quod exiliori sensu habet Arianus Epicteti Lib. 1. cap. 3. *Si quis huic opinioni ex animo atque ut rei præstantia postulat, assentiretur, nimirum nos procreatos à Deo, ac præterea Deum, patrem esse Deorum & hominum, haud dubie nihil humile aut abjectum de se ipso cogitaturus esset. Quod si Cæsar te adoptaret, supercilium tuum nemo ferret. Si ergo Dei te filium agnoscis, non te efferes? At istud nos non facimus jam &c.*

XIV.

Gnorismata Filiorum Dei sunt (1) *Impressa imago* s. gestatio imaginis divinæ, adeoque sancta cum patre & fratre primogenito conformitas, Rom. 8, 29. Eph. 5, 1. 2. 1 Joh. 1, 6. 7. c. 2, 6. c. 4. 8, 13. c. 3, 2. Matth. 5, 45. 48.

48. (2) Amor Dei sincerus & filialis Eph. 5, 1. 2. 1 Joh. 4. 19. Matth. 22, 38. (3) obedientia & reverentia filialis, Mal. 1. 6. Joh. 14, 15. 21. cap. 15, 10, 14. 1. Pet. 1, 17. || 1 Joh. 3, 24. (4) Nova vita, Deo & Evangelio digna Joh. 5, 19. 1 Thess. 2, 12. 1 Petr. 1, 15. 16. Col. 1, 10. C. 2, 6. Eph. 4, 1. Phil. 1, 27. (5) Φιλαδέλφια, 1 Joh. 3, 14. 16. c. 4, 20. 21. Joh. 13, 34. 35. c. 15, 12. Rom. 12, 10. (6) Paternæ Castigationes patienter toleratæ Hebr. 12, 6 7. 8. Proverb. 3, 13. Apoc. 3, 19. Ut in cruce etiam conformes fiant imagini filii primogeniti Rom. 8, 29. (7) Desiderium τεκνογονίας, adoptionem hanc in alios propagandi, Ps. 51, 15. Ps. 116, 10. 14. Luc. 22, 32. Ex quibus de certitudine Electionis ac Salutis nostræ judicari debet.

XV.

Quamvis vero Fideles V. T. etiam fuerint Filii Dei: Eadem n. promissio hereditatis ex Testamento Divino, in se considerato, sub quacunque œconomia Fæderis Gratia, locum habet atque una & invariata manet; Quia tamen œconomia Legis Deum ut severum Dominum ac rigidum judicem exactoremq; obedientia proponerebat; Inde fiebat, ut qui Spiritu hujus œconomia agebantur, licet filii essent, ut minores tractarentur, ita ut a servis vix quidquam differrent, Gal. 4, 1. hinc Pædagogis tutoribus & custodibus *subjecti usque ad præfinitum* tempus a Patre, v. 2. instar fervorum, timore pœnæ, quodam animorum metu, imperantis heri jussa capessiebant atque exsequebantur! quem Apostolus *Spiritum Servitutis* appellat Rom. 8, 15.

XVI.

Econtrario œconomia Evangelica N. T. exhibito, mortuo atque exaltato Christo Deum ut be-

ni-

nignum & blandum Patrem fidelibus proponit, qui filios morigeros paterno amore complectitur, & quem fideles vicissim ut benevolum ac benignum Patrem ex genio filiorum & *Spiritu filiali* compellare, invocare & de necessariis rogare possunt: nam *non accepimus*, ut fideles V. T. *spiritum Servitutis iterum in timorem, sed accepimus Spiritum Adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater: hic Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus Filii Dei; si a. filii, & heredes, & heredes quidem Dei, coheredes a. Christi; si tn. compatimur ut & conglorificemur.* Rom. 8, 15. 16. add. Gal. 4, 6. qui Spiritus negatur fuisse sub V. T. Joh. 7, 39. *Nondum erat Spiritus S. quia Christus nondum erat glorificatus.* Prærogativa hæc N. T. a Deo in V. T. prædicta fuit, Jer. 3, 10. *Quomodo te ponam in filiis!* impleta in N. T. Joh. 1, 12. *Quotquo receperunt eum, dedit eis hoc jus ut filii Dei fierent.* & Joh. 15, 15. *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos a. dixi Amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ex quibus intelligitur Beneficium Adoptionis ac titulum Filiorum Dei pleno sensu esse Bonum N. T.

XVII.

Opposita est I. doctrina Judæorum & Muhammedanorum, qui ex perversa interpretatione dogmatis Christiani, de Christo Filio Dei, generationem Dei physicam fingunt, indeque Christum non solum Filium Dei, quod sc. Deus uxorem non habeat, sed & fideles per fidem in Christum Filios esse Dei, orthodoxo sensu, negant. II. Vita & Mores quorundam degenerum Israelitarum & hodiernorum Christianorum, qui doctrinæ cælesti oppositam vitam agunt, de quibus ipse Deus queritur Jes. 1, 2. Filios enutrivit & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. & Mal. 1, 6. Filius honorat Patrem & ser-

B

vub

*us Dominum suum; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?
si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

XVIII.

Verorum proinde filiorum Dei est Nomini suo
exacte respondere ac Statui filiorum Dei congruenter
vivere; vel si in quibusdam officio defuerint, vel no-
men mutare vel mores!

CAPUT II.

De Libertate Christiana.

I.

SCite *Bernhardus L. de Grat. & Lib. Arb. Libertatem tripli-
scem facit: Aliam sc. a Necesitate: aliam a peccato: aliam
a miseria. Illam naturalem appellat, in prima Naturæ condi-
tione collatam, qua præstamus ceteris animantibus, quæ Deo, uni-
versæq; tam malæ quam bonæ rationali convenit creaturæ: nec
peccato, nec miseria amittitur vel minuitur: nec major in justo
est quam in peccatore: nec plenior in Angelo, quam in homine &c.
Istam a peccato, vocat, qua reformamur in innocentiam, no-
va in Christo Creatura: cui contraria est Servitus pecca-
ti: Rom. VII, 23. Hanc, a miseria, qua liberamur a pœ-
na peccati, i. e. a morte, aliisque incommodis, quæ
peccati stirpe pullularunt. Quibus addenda Libertas
fidelium a rigore ac maledictione Legis, ut & a Servi-
tute Statutorum & Ceremoniarum Mosaicarum. Quæ ac-
ceptio est hujus loci.*

II.

* (II) *
II.

Supponit vero antegressam *Servitutem*, cum Christus, Liberator, maxime necessarius sit iis, qui metu mortis per totam vitam obnoxii fuerunt *Servituti*, Heb. 2, 15 de qua *Servitute* tenendum est: Primos homines quidem liberos a Deo esse conditos, qui tamen abusu Libertatis, Libertatem amiserunt, Servi facti ejus, cui obediverunt, i. e. peccato, tam respectu reatus, quam respectu Domini & Condemnationis; quæ est fædisfima *Servitus* & miseria summa: quam excepit *Servitus æconomica* inducta per sententiæ legis Moralís repetitionem, Deut XXVII. 26. Gal, III, 10. Legisque cerimonialis & forensis impositionem Gal. III, 19.

III.

Servitute sub *Lege Morali* homo peccator expertus est per rigidam obedientiæ exactionem, qua Peccator ad desperationem, Legis illius præstandæ necessitate, adductus, peccati dominantis tyrannidem & maledictionem sentire & agnoscere debebat, Gal. III, 13. *Servitus* sub *Lege Cerimoniali & forensi*, fuit condemnationis obfignatio, qua Peccator reatus sui convincebatur, quemque fatebatur, dum in locum suum victimas & Catharmata substituere jubebatur & substituebat, Col, II, 14. qua docebatur ad promissum Messiam confugiendum, si a peccati reatu ac dominio liberari vellet.

IV.

Libertas a dicta *Servitute*, est vel *Communis* omnibus fidelibus; vel *Propria* fidelibus N. T. *Illa*, ex promissione Semini benedicti & fide in illud, fidelibus

V. T. etiam competebat Spiritu servitutis œconomicae temperata. Hæc in definitione exprimitur §. 7.

V.

Dicitur *Christiana* ab Auctore Christo, & a Subjecto, Christianis, seu in Christum credentibus, qui a Servitute dicta liberati & servi Dei, Christi ac Justitiæ facti sunt.

VI.

Non consistit in immunitate a legibus omnibus, ut volunt *Libertini*, quam sententiam Pontificii Protestan-
tibus falso tribuunt. vid. *Bellarmin.* de Justif. l. 4 c. 5. ne-
que consistit in exemptione a Magistratum Jurisdictione.
Nam subsunt fideles etiam Magistratus directioni
& Legibus, Rom. XII.

VII.

Sed Est status plenitudinis gratiæ in quem fideles a
Deo per Christum translati & in quo a Sp. S. obigna-
ti sunt, consistens partim in Liberatione a Servitu-
te & dominio peccati, partim in immunitate a Legis
maledictione, rigorosa exactione & servili coactione,
partim in Liberatione ab œconomica Servitute Le-
gis Cerimonialis, partim in adoptione in jus filiorum
Dei & missione Sp. S. in corda eorundem, collatus ad
laudem gloriosæ gratiæ Dei & salutem credentium.

VIII.

Auctor est Deus Pater, qui offert Libertatem,
Col. 1, 12. 13. Ipse enim eripuit nos de potestate tenebra-
rum, & transtulit in Regnum filii dilecti; in quo habemus
redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Fi-
lius Mediator, qui eam acquisivit & confert, Joh. VIII-
36. Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Gal. 5, 1. In
liber-

* (13.) *

libertate qua Christus nos liberavit perstate. Spiritus S. qui eam intus obfignat, 2 Cor. III, 17. Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.

IX,

Causa προηγμένη est φιλανθρωπία & gratia Dei Luc. I, 78. Perviscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto: Causa προκαταρκτική est Satisfactio Christi, Rom 5, c. 8, 2. 3. Joh. 8, 16.

X.

Medium ex parte Dei exhibentis est Verbum ac doctrina Christi, Joh. 8, 31. 32. Si manseritis in sermone meo, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. ac Jac. I. 25. Qui perspexerit in Legem perfectam Libertatis & permanserit in ea: hic beatus in facto suo erit. Doctrina salutaris de Misericordia Dei in Christo, quæ inde ministerium Reconciliationis dicitur, 2 Cor. 5, 19. Ex parte hominis est fides, Joh. 1, 12. Rom. 5, 2. Gal. 3, 26.

XI.

Objectum est tum Lex Cerimonialis & forensis, tum peccatum & Lex peccati, tum jus filiorum Dei & Spiritus Christi.

XII.

Subiectum sunt fideles a servitute Legis præcipue Cerimonialis & forensis ac dominio peccati & maledictione Legis liberati & per gratiam Adoptionis a Deo propter Filium unigenitum in filios recepti, Gal, 5, 2. Ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamini Christus vobis nihil proderit. c. 3, 25. Joh. I. 12. & Spiritu Adoptionis donati, Rom. 8, 15. Gal. 5, 6.

XIII.

Forma consistit (I) in Liberatione a servitute & Dominio

B 3

nio

nio peccati, ita, ut non amplius Servi teneamur peccato, sed justitiæ, Rom. 6, 14. 16. 18. Peccatum vobis non dominabitur: non enim sub Lege estis sed sub gratia. Liberati a peccato, servi facti estis Justitiæ v. 22. Deo & Christo: Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Luc. 1, 74. 75. Ut sine metu de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ. Cui servire libertas est Joh. 8, 36. Si vos Filius liberaverit, vere liberi estis. (II) in Immunitate a Legis Moralis rigida & severa exactiōe & coactione, Rom. 7, 2. 4. 6. nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est Legi; Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a Lege Viri; itaque & vos mortificati estis Legi per corpus Christi: nunc soluti sumus a Lege mortis. nec non a Legis maledictione, quæ Spiritum servitutis gignebat & proinde Ministerium mortis appellatur, Gal. 4, 24. 26. 2 Cor. 3, 6. 7. Gal. 3, 10. 13. Christus nos redemit a maledicto Legis, factus pro nobis maledictum. cum e contrario sub œconomia N. T. fideles subsint leviori & suaviori jugo Christi, Matth. 11, 30. ut pote, cujus mandata gravia non sunt, 1 Joh. 5, 3. & quod Spiritus Ministerium vocatur, 2 Cor. 3, 8. quodque Spiritus Adoptionis gignit, Gal. 4, 5. 6. 7. Rom. 8, 15. (III) in Immunitate a difficili Cerimoniarum iugo, quod nec Patres nostri nec nos ferre potuimus & possumus Act. 15, 10. Gal. 3, 25. Christus enim delevit Chirographum nobis contrarium: n. p. totam Legem Præceptorum in placitis, Col. 2, 16. fecitque nos secum Sacerdotes, & Reges, Apoc. 5, 10. liberos a tutoribus, & Pædagogis, qui Veteris Test. fideles ceu minorenes ad onus illud Cerimoniarum, portandum adigebant. Gal.

4, 2. seque solum Doctorem, Magistrum, Pastorem, Dominum, Regem & Legislatorem nostrum, unice audiendum, cœlitus declarari passus est & declaravit Matth. 17, 5. c. 23, 8. Jes. 33, 22. Joh. 10, 1 Cor. 8, 6. Eph. 4, 5. (IV) in Immunitate a metu mortis, Hebr. 2, 16. *Liberavit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*

XIV.

Huc referunt *immunitatem* a multitudine atque onere *Legum, Constitutionum, Cerimoniarum ac Rituum Ecclesiasticorum præter Scripturam introductorum.* de quibus in genere Paulus 1 Cor. 14, 46. *Omnia honeste & secundum ordinem fiant. c. 7, 23. Pretio emti estis: nolite fieri servi hominum.* De quorum mole jam queritur Augustinus suo tempore, quod sc. homines Legibus suis ipsam Religionem, quam paucissimis & manifestissimis Celebrationum Sacramentis Misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premant, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiam si tempus Libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumtionibus subjiciantur. superfluaque ressecanda monet. Et ex vero judicat Erasmus Annot. in c. 11. Matth. *Vere blandum est jugum Christi & levis sarcina, si præter id quod ille nobis imposuit, nihil imponeretur ab humanis constitutiunculis. & post pauca: Facile toleratur quicquid est secundum naturam; Nihil a. magis congruit cum hominis natura, quam ut naturam collapsam suæ restituat innocentie sinceritatieque. Sed quemadmodum apud Judæos Legem per se molestam aggravabant hominum Constitutiones: ita cavendū est etiam atq; etiam, ne Christi legem per se blandam ac levem, gravem & asperam reddant humanarum Constitutionum ac dogmatum accessiones.*

In

In Colloquiis quoque, *Convivio* sc. quod vocat *Religioso* queritur, quod quidam superstitiosi, simplices & indocti doceant populum Ritibus & Cerimoniis fidere, prætermisissis his, quæ nos vere reddunt Christianos. Non ab similia habet *Joh. Ferus* in c. 15. Matthæ nec non *Cassander* Consult. in Aug. Conf. Artic. 7. prope fin. Nec tamen contemnendum hic est monitum J. A. Comenii in *Tract. Unum Necessar.* c. 8. §. 22. *alios totum Numinis cultum in Cerimonias vertere, alios una cum Cerimoniis cultum ipsum aut abjicere aut negligere.* Neque *Adiaphororum* loco habenda sunt, quæ in sacris literis mandata vel exemplo monstrata sunt, ut *Præceptum de sculptilibus & imaginibus*, item *Fractio Panis* in Cœna sacra; vel quæ institutioni Christi repugnant, v. gr. *Exorcismus* in Baptismo.

XV.

Finis est Laus gloriosæ gratiæ Dei Eph. I. 14. & Fidelium dominium in peccatum Rom. 6, 12. 18. 22. Servitus Dei & Christi, Liberatoris Luc. I, 47. Servitus Justitiæ Rom. 6, 18. 22. Salus æterna.

XVI.

Effectus est (1) *Consolatio* nostra, Heb. 6, 18. 19. 20. (2) *admonitio* nostra, ut scilicet a peccati servitute & dominio liberati serviamus justitiæ atque adeo in omni sanctitate vivamus, Rom. 6, 18. 22. Luc. I, 47.

XVII.

Opposita sunt deliria *Libertinorum & Antinomorum*, qui immunitatem hanc interpretantur impunitatem, voluntque, fidelibus & regenitis licere quicquid libet. Seque a lege & ab obligatione erga Deum & homines solutos esse: quorum furores Christus & Apostoli tum *Generaliter*, tum *Specialiter* refellunt: *Generaliter* quando Christus docet nos *Lege solutos non*

non

non esse, ut Matth. 5, 17. nolite putare quod venerim solvere legem & Prophetas; nam non veni solvere, sed adimplere. &c. & Paulus Rom. 3, 31. c. 7, 7. Quid dicemus? Lex peccatum est? absit. v. 12. Lex sancta, & mandatum sanctum & justum & bonum. Gal. 3, 17. Si quærentes justificari in Christo, inventi sumus & ipsi peccatores, nunquid Christus peccati minister est? Absit. item quando monent, ne libertatem in quam nos Christus asseruit, in peccatorum licentiam vertamus, 1 Pet. 2, 16. quasi velamen habentes malitiæ libertatem, Gal. 5, 13. in libertatem vocati estis; tantum nè libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem Spiritus servite invicem: Omnis enim Lex uno sermone impletur: Diliges proximum sicut teipsum. Specialiter vero quando Zacharias Spiritu S. repletus Luc. 1, 74. 75. ait, nos e manu inimicorum nostrorum liberatos, ut serviamus illi in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ nostræ fideles ad obsequium Deo, Christo & Justitiæ præstandum obstrictos docent, Rom. 6, 12. 13. 14. Ne regnet peccatum in mortali corpore vestro; sed exhibete vos Deo & membra vestra arma Justitiæ Deo: non enim sub Lege estis sed sub Gratia &c. v. 18. Liberati a peccato servi facti estis justitiæ. ac proinde jugo doctrinæ Christi subjectos esse, Matth. 11, 29. 30. Tollite jugum meum super vos & discite a me &c. Jugum enim meum suave est & onus meum leve. ut & præcepto charitatis Dei & proximi, Matth. 22. 37. 39. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & Proximum tuum sicut Te ipsum. add. Joh. 13, 13. 14. Rom. 13, 8. 9. Jac, 2, 10. 11 hinc 1 Joh. 4, 21. Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

XVIII.

Neque obstat locus Rom. 6. 14. Non estis sub lege:
 C
 sed

sed sub gratia : Apostolus enim ibi fortissime sententiam orthodoxam confirmat, sc. sub gratia peccato non *serviendum esse*, v. I. 2. 3. 6. II. 12. quia non amplius sumus sub Legis rigore & maledictione, adeoque non sub Lege justitiam ab hominibus severe & sub pœna maledictionis exigente; sed sub gratia & sub Evangelio, quod est *sermo Gratiae*, Act. 14, 3. quodque Conditionem Fœderis Gratiae non solum præscribit, sed ad eam præstandam vires quoque confert, 2 Cor. 3, 6. 7. 8. unde Paulus nullibi magis quam Rom. 6. obsequium Deo, Christo & Justitiæ nunc præstandum docet.

XIX.

Idem præstat 1 Tim. 1, 9. ubi docet *Legem bonam esse, si quis ea legitime utatur*; addit tamen, *Legem* justo non esse positam, quæ videl. instar severi Pædagogi ac rigidi Exactoris suis terroribus, minis, execrationibus & maledictione hominem perfidem justificatum accuset, terreat, damnet; non negat vero, justum, Duce Spiritu Christi, Lege Libertatis, in actionibus suis dirigi, duci atque agi: unde fiat, ut quod alii vix Legum metu aggredi tentent, id ipse Spiritus ductu libere operetur. *Ubi enim Spiritus domini est, ibi libertas*; 2 Cor. 3, 17.

XX.

Consentanea sunt quædam effata Sapientum, v. g. Senecæ de Beat. Vit. c. 15. *In regno nati sumus, Deo parere Libertas est.* & Cic. Paradox. 5. *Quid est libertas? potestas vivendi ut velis: quis igitur vivit ut vult? qui recta sequitur.* Econtrario Philo recte ait libro: *Quod omnis probus sit liber* p. 675. *Quotquot in iræ, Cupiditatis aut cujuscumque vitii Perturbationisve insidiosæ potestatem deveniunt omnes:*

* (19) *

*omnes servitutem serviunt. Unde Seneca Ep. 48. Ostende
quis non sit servus? Alius libidini servit, alius Avaritiæ,
alius Ambitioni, omnes Timori. Nulla servitus turpior est
quam voluntaria. Cujus Respectu Diogenes aliquando A-
lexandro regerebat: Ego sum Dominus Dominorum tuorum.
Congruenter quoque Doctrinæ Apostoli dixit Aristo-
teles ap. Laert. l. 5. Hoc ex Philosophia didici, ut injussum
ea faciam quæ ceteri legum metu. & Seneca Trag. in Thy-
este v. 348.*

Rex est qui metuit nihil. it. v. 388.

Rex est qui que cupit nihil

Hoc Regnum sibi quisque dat!


XXI.

Fidelium est, *Liberatori, vindici atque Assertori suo*
pro beneficio Liberationis gratos se declarare, illumi-
nationem ac pulsum Spiritus S. admittere, operatio-
nibus ejus non resistere, sed ductum ejus libere

sequi. Ubi enim Spiritus Domini est, ibi Li-

bertas, 2 Cor. 3, 17.

E I N I S.



Coll. Diss. A 181, Weiss 14